

presse etenim scribit : DEI ædificatio estis , & hujus  
 ædificii nimirum Ecclesiæ unicum ac solum funda-  
 mentum Christum esse v. II. clare docet. Ex his  
 igitur sic argumentor : Si Christus unicum ac solum  
 fundamentum Ecclesiæ est, sequitur, quod Petrus  
 non potuerit esse fundamentum Ecclesiæ, sed verum  
 est prius, ergo & posterius. Prius constat ex I. c.  
 I. ad Corinth. III. I. Consequentia clara est, nec in-  
 diget probatione ampla, si quis enim solus fundamen-  
 tum est, alter non potest esse fundamentum. VI.  
 Christus est Caput Ecclesiæ ad Eph. I. 22. Cap. IV. 15.  
 Cap. V. 23. ad Coloss. I. 18. Si igitur Petrus fuisset  
 Ecclesiæ Caput, Ecclesia fuisset monstrum, cum non  
 unum habuisset Caput, quod absolum ! Porro quan-  
 do Papa moritur amitteret Ecclesia Caput suum, si  
 Papa (qui successor Christi esse fingitur) esset Caput  
 Ecclesiæ, & novum eidem accederet Caput, cum Papa  
 novus eligitur. Hem absurda ! Plura argumenta,  
 quod Petrus, quando Christus dicit : super hac Petra  
 ædificabo Ecclesiam meam, non possit intelligi, B.  
 J. G. Dorschæus habet in Commentario in IV. Evan-  
 gelistas ad hunc locum, ubi vide. Legi etiam me-  
 retur Musæus in Dissertatione de Capite Ecclesiæ,  
 Pontificiis & nominatim Becano opposita, ubi Becani  
 objectiones refutavit. Porro legantur B. C. Dieteri-  
 cus in Institutionibus Catecheticis loco de Ecclesia  
 Quæst. V. in Scholiis. B. Kromayerus in Theologia  
 Positivo-Polemica Artic. XIIIX. de Ecclesia Thesi X.  
 una cum Antithesi, nec non Magnificus Dn. D. Wei-  
 denerus tunc temporis Ddd. in doctissimo Tractatu :  
Erläu-